

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Ad Avdienda Vltima Verba Dvorvm Paedagogii Regii,
Qvod Glavchae Est Ad Halam Magdebvrgicam, Adhvc
Alvmnorvm, Qvae Die VII Aprilis Hora IX Matvtina In ...**

Freyer, Hieronymus

Halae Magdeburgicae, [1706?]

VD18 13418866

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-63867-p0011-9](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-63867-p0011-9)





57 E 8

20433

29. 30.
AD
AUDIENDA
ULTIMA VERBA
DVORVM
PAEDAGOGII REGII,
QVOD GLAVCHAE EST AD
HALAM MAGDEBVRGICAM,
ADHVC ALVMNORVM,
QVAE
DIE VII APRILIS HORA IX MATVTINA
IN AVDITORIO ORPHANO TROPHEI MAIORE
PRO VIRILI FACIENT,
LIBERALIVM ARTIVM
PATRONOS, FAVTORES
ET CVLTORES
SVBMISSE AC PER OFFICIOSE
INVITAT,
SIMVLQVE
DE
FESTINATIONE SCHOLIS
PERNICIOSA
QVAEDAM DISSERIT
HIERONYMVS FREYER,
PAEDAGOGII REGII INSPECTOR.



Vanta prudentiæ ciuilis in Octauiano Casare,
 primo Romanorum Augusto, exstiterit matu-
 ritas, nescire nequeunt ii, qui vel leuiter atti-
 gerunt antiquitates et fata illius imperii, quo
 nullum toto orbe florentius, augustius nul-
 lum humana potest memoria recordari. Est
 enim hic laudatissimus ille Princeps, qui, vt
 paucis multa dicam, summa in bellis felicitate,
 et in pace moderatione vsus, quam laceratam et fessam acceperat rem-
 publicam, pulcherrimis auctam prouinciis ac beatissimam Tiberio suc-
 cessori reliquit, effecitque, vt numquam floruisse magis res Romana
 plurimis videretur. Hunc C. Suetonius Tranquillus, qui multa eius et
 prudenter facta et sapienter dicta memoriæ prodidit, crebro illud exi-
 mium, et gerendis rebus ab ipso non raro felicissime accommodatum,
 et, vt multi existimant, nummis etiam illis, quibus Terminum fulmini
 coniunxit, expressum *Σπεῦδε βραδέως* iactitasse, suisque ducibus commen-
 dasse, auctor est. Nam nihil, vt idem scriptor grauisimus refert, minus in
 perfecto duce, quam festinationem temeritatemque conuenire arbitra-
 batur. Quod quidem egregium, vereque, vt Erasmo placet, *βασιλικὸν* pro-
 uidentissimi Principis symbolum etsi regendis ciuitatibus exercitibusque
 ducendis potissimum inseruit, consiliumque hoc salutare suggerit, *ad nego-
 tia et industrie celeritatem, et diligentie tarditatem adhibendam esse*: tamen
 non minus commode ad rem literariam transferri, præcipueque in scho-
 larum, Gymnasiorum, aliorumque virtutis ac sapientiæ domiciliorum am-
 plissimum vsum conuerti potest. His enim qui bene consulunt, reipubli-

ca

ea quoque salutem augent et commoda, vtpote cuius seminaria scholae bene constituta merito ac recte dicuntur. In scholis igitur Auguste-um illud *Σπεῦδε βεβαιοῦς* saepe ac sedulo inculcandum esse iudico. Namque magna quidem earum rerum multitudo est, quae impediunt, quo minus ad veram iuvenes solidamque peruenire ingenii culturam queant; nec tamen pro minimis habenda sunt illa incommoda, quae ex *nimia cunctatione et festinatione* in litterarum studiosos redundare consueverunt. De illa nunc disputare in animo non est: *haec* quae sit, et quid efficiat, breuiter demonstrandum videtur. Atque vt inde potissimum exordiar, quo omnis eorum conatus, qui in studiis litterarum versantur, et labor omnis constantissime referendus est, quis dubitat, hoc sollerti liberalium artium ac disciplinarum cultori propositum esse, vt in rerum diuinarum humanarumque adyta et naturam profunda, quoad huius vitae imbecillitas patitur, cognitione magis magisque penetret? Quid vero hic promittere sibi possint, qui nimium festinant, hoc est, qui inepta sciendi investigandique curiositate praepediti neque animum satis attentum, neque morae patientem ad rei considerationem adferunt, facile est ad iudicandum. Nimirum caeca festinatio est et numquam non improvida. Hinc multa audiunt istiusmodi homines, multa legunt, sed pauca sunt, quae sciunt: et si scire videantur multa, non multum tamen, non solide, non recte sciunt. Sed ad ipsa scholarum penetralia succedamus. Hic vero videas, et puerorum et adultiorum commune hoc esse vitium, vt ad maiorem semper, superioremque discantium ordinem feruidi et cum impetu adspirent. Et tolerari poterat in tam tenera, saltem immatura aetate haec inconsiderantiae temeritas, nisi ipsi saepius parentes, alique, quos circumspectiores decebat esse, intempestiuo suorum amore ducti, hoc etiam docentibus onus imponerent. Hi sane, dum vel sibi volunt, vel suis consultum, nesciunt aut scientes volentesque ignorant, quanto opere sua suorumue commoda et progressus, quos positus legitime fundamentis erant facturi, si non plane impediunt, at certissime remouentur. Quemadmodum enim in exstruendo aedificio qui lapidibus aduelendis ita parcit, vt totius operis molem non a soli profunditate excitet, imprudentiae merito arguitur, sumtusque faciendos non minuit, sed auget; sic haec tam praecipuum multorum festinatio, quae animum, rotae proniue gurgitis ac verticis instar, nusquam patitur consistere, tantum abest, vt ad

ad



ad optatam citius metam adolescentes perducant, ut potius recti-
ora cognoscentibus cum tædio sæpe magnaue temporis iactu-
ra resumendus sit, quem se dudum superasse laborem credide-
rant. Nam etsi altum quiddam et sublime spirare festinabun-
da hæc ingenia videntur: non habent tamen, cui insistant, ne-
que ex firmo mansuroque ipsis oritur, sed ventosa et inanis est sci-
entia, tantumque distat ab eruditionis soliditate, quantum a
corpore umbra, a vero id, quod apparet, ab ædificii iusti firmita-
te nata per puerorum lulum casula. Hæc quam facile subruatur,
in promptu est: cum eam rerum omnium naturam sciamus esse, ut ne-
cessario ad ruinam prona sint, quæ sine fundamentis creuere. Quare
obiurgatione dignos recte putat quidam, qui, sicut omnia, ita spes
quoque suas ambitioni donantes, nolunt suos liberos seuera lege
proficere, nec patiuntur laborum gradus fieri, ut studiosi iuvenes
lectione seuera mitigentur, ut sapientiæ præceptis animos
componant, ut diu audiant, quod velint imitari. Ex quo etiam
illud intelligitur, non sine maxima neglecti officii culpa fieri posse,
ut magistri, siue publicarum scholarum sint, siue domestici
præceptores, posthabitis summe necessariis, ex placendi studio
aut ad gloriolam captandam, ea tradant discipulis, quæ vel pror-
sus poterant ignorari, vel ad maiorem ingeniorum maturitatem
erant reseruanda. Neque vero excusatiùs errant, sed rem faci-
unt et sibi et reipublicæ perniciosam, quotquot adolescentulorum
ad sublimioris doctrinæ præcepta nondum maturi scholarum se
vibræ subducere properant, falsaue eruditionis persuasione,
aut effrenatæ licentiæ cupidine incitati cruda adhuc studia in aca-
demiarum lucem velis equisque propellunt. Quibus quis nega-
bit merito postea accidere, si in academiis inter auditores
Professorum sublimiora docentium sedeant aut ex duobus tria vi-
dentes, aut interpretem circumspicientes eorum, quæ forte alio,
quam patrio sermone, traduntur: ut taceam, quantum ab iis pe-
riculi scholis, curiis, cathedris aulisque immineat. Sed odio-
sa est in rebus gerendis tarditas, magnorumque sæpe incommodo-
rum mater cunctatio. Adesdum, qui ita cogitas, qui ita loque-
ris! Σπεῦδε βραδέως! Φρονεῖν γὰρ οἱ ταχὺς, ἔκ ασφαλῆς ex So-
pho



phoclea sententia sunt. Et *satis celeriter fieri* idem Augustus credidit, *quidquid fiat satis bene*: nec alia causa est, cur ancoram delphino iungi iusserit in nummo Titus, Imperator Augusti simillimus. Manu sementem fieri oportet, non autem tota corbe. Maturefcere decet, non maturare; aut, si maturare, non tamen cum soliditatis detrimento festinare. Leonis dicunt catulos informes nasci, vix ingredi semestres, non moveri, nisi bimestres: ita, quæ egregia futura sunt, sero proueniunt, lentisque ductibus absoluntur. Quæ cum esse ita intelligerent nonnulli iuuenes ex eorum numero, qui in hoc Pædagogio Regio disciplinis atque artibus ad virtutem et humanitatem informantur, desiderio solidioris doctrinæ facile inducti ante annum sunt, vt, cum ceteroquin ex voluntate parentum aliorumque suasu cum academicis scholastica commutare studia constituissent, auide eam, quæ ostendebatur, proficiendi occasionem arriperent. Constituimus enim ex primo ordine, qui prouectoris ætatis erant, ingeniique cultioris, seligere, et ad altiora dignius præparare. Annus huic rei destinatus fuit, et labor ita distributus, vt discipulorum studia partim confirmatoria fierent, partim nouis incrementis augerentur. Repetuerunt itaque cum ceteris commilitonibus per binos in hebdomade dies, ex linguis *Ebraam* atque *Græcam*, ex reliquis scientiis *Geographiam*, *Historiam*, *Arithmeticam*, ita quidem, vt et audiendis *Geometria* atque *Ciuisilis Architecturæ* præceptis adfuerint. Sed quatuor supersunt dies, quibus quid actum sit, paucis ostendendum est. Adducendi igitur omnino Selecti nostri videbantur, et crebriore scribendi assiduitate aliquamdiu quasi ablegandi ad ea artis oratoriæ exercitia, quorum vsum præsentis vitæ temporisque ratio facit frequentiore. Hinc in explicandis applicandisque *oratoribus* et *epistolarum scriptoribus* ita præceptoris versata diligentia est, vt *Ciceronem* quidem ducem potissimum sequerentur discipuli; ex veterum tamen et recentiorum choro præter *Conciones Ciuisiles* ex vetustatis monumentis singulari libello collectas, subinde consulerent *Senecam*, *Plinium*, *Palearium*, *Muretum*, *Cunaum*, *Buchnerum*, et, quem communis in elegantiori litteratura Præceptoris loco veneramus, *Clarissimum nostrum Christophorum Cellarium*. Quorum
libro-

librorum lectio ut assidua meditatione ipsaque imitatione esset fructuosior, aliquot quotidie horæ ad conscribendos sermones epistolasque texendas attributæ discentibus sunt, ut semper haberent, quod aut emendandum exhibere docenti possent, aut sub finem hebdomadis memoriter pronuntiare. Deinde, cum clarum ipsaque experientia perspicuum sit, infelicissime dicendi regulam et leges applicari, in meramque ineptæ loquacitatis consuetudinem abire, nisi accuratior ipsarum rerum, de quibus verba facienda sunt, cognitione suffulciantur; nec in Philosophiæ arcanis plane hospites esse nostros volumus. Nam præter *Logicam*, cuius præcepta iam superiore acceperant tempore, *Historiam* quoque *Philosophicam*, et ex *Metaphysica*, *Philosophia Naturali*, *Morali* et *Civili*, itemque *Reverendi Langii Medicina Mentis* ea succinctim tradita audiuerunt, quæ et vtiliorem et faciliorem, immo etiam iucundiorē reddere diligentiam, nec ignorari commode possunt ab iis, qui solidam aliisque vtilem comparare sibi eruditionem cupiunt. Hi labores antemeridiani fuerunt omnes, si disputandi exercitationem addidero, et Poetas, *Virgilium*, *Horatium*, *Ovidium*, *Hugonisque Pia Desideria*, ex quorum prioribus ea tantum selegimus, a quibus morum sanctitati periculum non esset metuendum. Quos inclinato iam in postmeridianum tempus die suscepimus, iucundiores visi discentibus sunt, et partim latinitati, partim ad augendam rerum gestarum cognitioni potuerunt inservire. Cursus enim quasi instituimus, et optimos quosque scriptores Latinos, *Salustium*, *Nepotem*, *Cæsarem*, *Velleium Paterculum*, *Curtium Rufum*, *Iustinum*, *Eutropium*, *Sextum Rufum*, integros; et ex ceteris, ut *Cicerone*, præter commemoratas iam supra orationes et epistolas, ex *Linio*, *Valerio Maximo*, *Suetonio*, *Tacito*, *Lactantio*, *Sulpicio Severo* libros tantum aliquot aut partem lustrauimus. Finem publicarum lectionum semper nobis fecit nobilissima omnium disciplina, *Theologia*. Cuius veritatem et fundamenta ut eo facilius intelligerent, tenerentque firmiter, non solum Compendio alumnus Pædagogii dicato vti sunt, verum etiam ad Codicem sacrum salutariter legendum separatim instituti. Nunc tandem hoc suum stadium, quæ summa benignissimi Numinis indulgentia est, feliciter

ter



ter atque ita emensi sunt, vt ad maiora eaque academica pergere studia posse, minime dubitetur. Itaque tres ex hoc numero vltima in Pædagogio Regio ad PATRONOS, Præceptores atque Commilitones verba facturi erant; sed, cum IOANNES CHRISTOPHORVS *Gottschalck / Coburgo-Francus*, qui per biennium apud nos probus nec indiligens discipulus de PIETATIS IN DEVM atque ERVDITIONIS COPVLA dicere constituerat, subita dilectissimæ matris morte domum auocatus sit, duo tantummodo gratum dicto tempore locoque animum publice declarabunt. Alter est HENRICVS CHRISTOPHORVS *Bick / Pernauia-Liuonus*; alter CHRISTIANVS *Boehrlin / Althemio-Plmensis*, vterque non degener neque deses, hic per tres annos, ille in quintum iam Pædagogii Regii alumnus. Ille habita tam suæ conditionis, quam commilitonum, quos relinquit, ratione, de OPTIMO DISCENDI GENERE; hic vero monitorum, quæ ex Philosophia Morali ante aliquot menses accepit, adhuc memor de SVMMA HOMINIS FELICITATE perorabit. Ad quos beneuole audiendos bonarum artium PATRONOS, FAVTORES et CVLTORES, quibus commodum erit et per grauiora negotia licebit, ea, qua par est, animi submissione inuitamus. DEVS T. O. M. Vos omnes diutissime seruet, quibuscumque schôlarum ac virtutis incrementa curæ sunt, et laudabilibus etiam nostrorum conatibus adspiret clementissime. Ita spes est, fore, vt, qui apud nos fuerunt, sint porro in Academia, immo, vt decet, in dies magis pii, modesti, seduli et Reipublicæ Sacræ, cui studia sua addixerunt, vtilem aliquando operam nauent. Valete et fauete. PP. Glauchæ ad Halam Magdeburgicam III. Nonas April.
clo 1666.

HALAE MAGDEBURGICAE,
Typis JOHANNIS MONTAGII, Acad. Typogr.

57 E 8

